Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651651-p0001-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651651-p0002-6

ICONES,

Hoc est:

VERÆ VARIORVM POPVLORVM ET REGVM,

CEREMONIARVM ITEM, SVPERSTITIOSORVM RITVVM ET RERVM ALIARVM, HOC TOMO SEPTIMO commemoratarum, effigies & imagines,

QVIBVS TAM

Georgii Spilbergii, quam Caſpari Balbii nauigationes illuſtrantur.

Studio & opera

IOANNIS-THEODORI, ET IOANNIS-ISRAELIS DE BRY, FRATRVM, IN ÆS PVLCHERRIME INCISÆ.

FRANCOFORTI,
In Officina Typographica WOLFGANGI RICHTERI.

M. DC. VI.

ICONES,

Heroum

VIRORUM ILLUSTRIUM

PROPYLAORUM ET REGUM,

CIMELIARUM ITEM, SUPERSTITIONUM RITUUM ET RERUM ALIARUM, HOC TOMO SEPTIMO continentium, effigies,

ex imaginibus,

QUIBUS TAM

Georgii Spilbergii, quam Calparii Bahlii

manu ejusdem illustrantis.

Studio & opera

IOANNIS-THEODORI, ET IOANNIS-ISRAELIS DE BRY, FRATRUM, IN LUCEM EDITARUM.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
Halle (Saale)

FRANCOFURTI,

Impensis Theodori de Bry, & Matthiæ Merianni.

M. DC. VI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651651-p0004-7

I.

DELINEATIO CIVITATIS VERE, IN SELANDIA

sitæ, vna cum tribus nauibus ad nauigationem primam destinatis.

HAbes hic, Lector, expressam imaginem ciuitatis VERE, quæ portus est siue statio nauium in Selandia, sub Principis Mauritii iurisdictione & potestate sita, qui Marchionem sese eius profitetur. Apposuimus autem etiam effigiem trium nauium, quæ ad hanc nauigationem destinatæ fuerunt à Simone Parduinio, ciuitatis Mittelburgensis consule seniore, Balthasaro Moucherone, & Petro ab Hecken mercatoribus, tanquam principalibus huius nauigationis autoribus, sub Nauarcho siue Admirali quodam Georgio à Spielberg, cuius crebra per historiam facta est mentio. Nomina vero nauium fuerunt Ouis, Aries, & Agnus.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651651-p0006-8

II.

DELINEATIO EORVM, QVÆ NAVARCHO IN *Porto Dale & Refrisco* acciderunt.



NAVARCHVS *cum ad* Capo Verita *veniſſet, Celocem ingreſſus nauigationem ad* Porto Dale *ſuſcepit, vbi cum tres Luſitanicas naues, quas* Carauelle *vocant, inueniſſet, Luſitaniq́ue tormentis eum à littore arcerent, coactus eſt defenſionem ſui ſuſcipere. Impetu ergo in vnam harum nauium facto, Num.* 1. *tanto cum ea feruore pugnare cœpit, vt reliquæ duæ Luſitanicæ naues auxilio ei venirent, quo viſo Nauarchus fugæ ſibi conſulendum cenſuit. Cum autem non procul à* Refriſco *abeſſet, & Celocem ad naues alias præmiſiſſet, Num.* 2. *Æthiopes quidam cum* Canois *aliquot, Num.* 3. *in eum inſultantes, veſtibus ſpoliarunt, ita vt nudatus veſtibus, & vtrâq́ue inſuper manu vulneratus ad naues ſuas redierit, quas in* Porto Dale *poſtmodum adducens, cum vnicam ſaltem nauem ibi inueniret, Num.* 5. *eam nullo labore ſuperauit.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651651-p0008-9

III.

DELINEATIO SINVS ILLIVS, QVEM HOLLANDI mensalem, sua lingua *Taffel Baje*, nominarunt.

EXpreßimus hic ſinum illum, quem Hollandi menſalem, ſua lingua Taffel Baje, nominarunt, idq; à monte quodam excelſo, qui ad decem leucas in mari cernitur, & in cacumine tabulam ſiue menſam aliquam quadratam refert. Situs hic ſinus eſt ſub 34. gradu & 4. ſcrupulis, 15. ferè miliaribus ſeptentrionem verſus à Capite bonæ ſpei. Ne quid autem quis ab eo aberret, loca quædam certis numeris conſignata adiicere voluimus, Num. 1. eſt ipſe ſinus menſalis, Num. 2. eſt mons menſalis, Num. 3. Inſulam Eliſabethæ, Num. 4. Inſulam Corneliam, Num. 5. Caput bonæ ſpei denotant. Num. 6. oſtendit homines huius loci incolas, qui loquentes ſonum inſtar gallinarum Indicarum emittunt. Locus alioqui multis ceruis & capreis abundat.

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle (Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651651-p0010-0

IV.

DELINEATIO EORVM, QVÆ GALLIS QVIBVSdam in regione *Annabon* acciderunt.

CVM Galli quidam ad regionem Annabon *nauibus ſuis delati, viderent in littore ſacrificulum quendam Miſſæ ſacrificium peragentem, ex ſingulari zelo religionis, vt ſacris intereſſent, in terram deſcenderunt. Videntes autem hoc ipſum Luſitani, vndiq́ue confluentes, partem trucidarunt, reliquis in captiuitatem abductis, qui lytrum perſoluere & ſeſe magna pecunia redimere coacti ſunt, etiamſi eiuſdem cum Luſitanis religionis eſſent. Numeros adiectos ſic intellige. Num. 1. Sacerdotem coram Altari. 2. Gallos. 3. Luſitanos. 4. & 5. Schaphas Gallorum. 6. 7. Naues eorum. 8.* Canoas *incolarum eiusloci. 9. 10. 11. &c. Rates quibus inter piſcandum incolæ vtuntur. 15. Arborem quæ* Bonannas, *fructum nempe Cucumeres repræſentantem fert, & folia tantæ magnitudinis habet, vt virum aliquem cooperire poſſint. 16. Arborem Goſſypii. 17. Arborem mala aurea ferentem, denotant.*

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle (Saale)

V.

ICON CIVITATIS MATECALO, VNA CVM aliis circumſtantiis.



CIuitas Matecalo *hæc eſt, regia ſedes in* Celon, *vbi à Rege potentiſſimo,* Dermuts Iandagare *nomine, Hollandi ſplendide accepti ſunt, quemadmodum illud numeris adiectis hic expreſſum eſt, Num. 1. Regem in veſtibulo arcis ſuæ conſtitutum, & ſtrictum gladium manu tenentem. 2. Admiralem Spilbergium, honorem Regi exhibentem. 3. Tubicines, & inſtrumenta muſicalia alia percutientes. 4. Arcem regiam. 5. Monaſterium aliquod. 6. Elephantes, varios ludos præbentes. 7. Satellites regios, Admiralem ad Regem ducentes. 8. Venationem ferarum, denotant.*

Universitäts- und Landesbibliothek Halle (Saale)

VI.

DELINEATIO CIVITATIS VINTANE,

in Celon sitæ.

CIVITAS Vintane *ad fluuium* Trinquamale *sita est, ad Regem in* Candus, *qui præcipuus in* Celon *Rex est, pertinens. Curat in hac ciuitate Rex in* Candy *naues suas parari, vt ex Num. 1. 2. 3. patet. Est in Ciuitate hac* Pagode *siue templum ingentis magnitudinis, ita vt circumferentia eius* 130. *passus complectatur, Num. 4. indicatum. Incolæ sunt admodum superstitiosi, & crebras processiones instituunt, Monachi ipsorum vestitu flauo vtuntur, & capite raso incedunt, præmissis multis instrumentis musicalibus, Abbas ipsorum Elephanti insidet, auro & argento pulcherrimè ornatus, sceptrumque in manu gerens, vt ex Num. 5. videre est. Num. 6. Monachos, Abbatem præcedentes & sequentes; Num. 7. tibicines & choragos; Num. vero 8. Monasterium Monachorum denotant.*

VI.

DELINEATIO CIVITATIS VINTANE.



VII.

DELINEATIO EORVM, QVÆ NAVARCHO SPILbergio, dum ad *Matecalo* hæreret, acciderunt.

DVM Nauarchus Spilbergius cum nauibus ſuis ad Matecalo ſubſiſteret, accidit, vt è longinquo nauem aliquam videret, ablegata igitur cum 14. claſſiariis Scapha ſua, naui iſta, quæ triremis erat 46. viris inſtructa, potitus eſt. Paulò poſt alia naui Champaigne, & iterum alia potitus eſt, quæ omnia numeris certis hic expreſſa oculis tuis ſubiiciuntur. Num. 1. Naues ad Matecalo hærentes. 2. Fluuium ad Matecalo. 3. Nauem Admiralis Spilbergii. 4. Celocem ſiue agnum. 5. Scapham Admiralis, qua in expugnandis illis tribus nauibus vſus eſt. 6. Pugnam cum triremi Luſitanica. 7. Expugnationem ſecundæ nauis Chambaigne. 8. Fugam Luſitanorum cum Scaphis ſuis, denotant.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651651-p0018-5

VIII.

DELINEATIO REGIÆ CIVITATIS *CANDY*,

& eorum, quæ Admirali ibi acciderunt.

Andy ciuitas est in Regno Celon, *metropolis potentissimi Regis* Fimala Darma Suriada, *alias* Don Ioan de Austria *dicti. In ea Admiralis quidem splendide admodum à Rege exceptus est, quemadmodum ex adiectis numeris apparet. Num. 1. lecticam, qua Admiralis gestatur. 2. Triremem, qua fluuium traiicunt. 3. Accessum eius ad Regem, & quomodo ab eo acceptus sit. 4. Satellites Regis, omnis generis ludos Admirali exhibentes. 5. 6. Portas duas, per quas ad diuersorium suum Admiralis ducebatur. 7. Diuersorium Admiralis. 8. Palatium seu Arcem Regiam. 9. Aulam Regis interiorem, 10. 11. Templa duo in arce constituta. 12. Canalem, quo aqua pluuia ex monte in stagnum quoddam deriuatur. 13. Domum regiam, in stagno, vbi multas gemmas colligunt, excitatam. 14. Modeliarem seu Capitaneum Regis. 15. & 16. Ciuem aliquem cum vxore sua. 17. Mancipium siue seruum ex iis, quib. aures plerumq; dissecantur, vt præ aliis cognosci possint. 18. & 19. Tentoria, vbi primores vrbis interdiu ab æstu solis tuti quiescere solent, denotant.*


1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18

Universitäts- und Landesbibliothek Halle (Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651651-p0021-1

I X.

TABVLA COSMOGRAPHICA, REGIONIS SIVE Insulæ *Celon* delineationem exhibens.

INsula Celon *in India Orientali sita in circuitu suo 360. leucas continet, & multis Regibus habitatur, quorum potentissimus est Rex in* Candy, *qui iugum Lusitanicum excussit, cæteris omnibus sub tributo Lusitanorum adhuc constitutis, qui in propugnaculo* Columbo *sese maxima ex parte continent, & totam inde Insulam, hoc solum regno excepto, sibi subiectam reddiderunt. Cassia plurimum in hac Insula crescit, quamuis & piperis & multarum gemmarum ferax sit. Est in parte septentrionali ciuitatis* Candy *piscina quædam, margaritarum ferax, sed & auro & argento, ferroq; & metallis aliis abundat. At vero Rex in* Candy *non patitur ea inquirere, ne thesauros ex Regno suo amittat. Homines admodum superstitiosi & idololatrici sunt, vnde in omnibus fere angulis statuæ quædam humanam partim, partim aliorum monstrorum formam referentes cernuntur.*

SEPTENTRIO

OCCIDENS

ORIENS

MERIDIES.

ZELON

Manar.
Hie ist ein fischerey von parlen.

Pelcarie.

Taffa Patan.

Madre.

Tangouere.

Res De Sete Corie.

Putalon.

Trigomalo.

Tranquero.

Candy.

Tranqueros.

Closter.

Virtano.

Vendro.

Capello de fayero.

Capello.

Tran: Bellc nc.

Tran: Ganiattani.

Pagode Vintano.

Negueretty.

Nilvale.

Chilau.

Altonnor.

Vegame.

Viada. Oncattoti.

Matecalao.

Macappeti.

Diuely.

Maniratuatto.

Grovenelle.

Negombo.

Sctavacco ist ein grosse stat do der konig von Celon sein hoff helt.

Grovebely.

Malleuarto

Trangulio Grando.

Colombo.

Dadare.

Pica

Pagoda.

Tansoli.

Calatre.

Verberyn.

Tansalier.

Grande.

Pagoda

Alicam.

Velebe.

Hulpilan

Ponte de Galle

Matura

Dondura

Tanadare

Bel ligane.



Univers.- u. Landesbibliothek Halle (Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651651-p0024-8

X.

REGIS IN *CANDY* ET ADMIRALIS effigies.

VERA hæc eſt effigies & imago potentiſsimi Regis, qui Fimala Dermaſuriada, alio vero nomine, quod, cum in iuuentute ſua à Luſitanis in propugnaculo Columbo baptizaretur, obtinuit, Don Ioan de Auſtria vocatur. Rex hic illuſtri familia natus, bellis ab ineunte ætate operam dedit, & in Goa aliquanto tempore vixit. Cum Admirale familiariſsimè conuerſatus eſt, & omnem ei beneuolentiam exhibuit, vt ex hiſtoria prolixè patet.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651651-p0026-9

XI.

INSIGNIA ET SIGILLA REGVM IN *CELON*, vnde Idololatria eorum patet.

XI

HI duo annuli *insignia Regum in* Celon *exhibent. Adiecimus vero etiam idololatrici cultus Regis in* Matecalo *delineationem. Nam in regno isto idolum habent, ea quam hic expressimus forma praeditum. Coram eo in genua procidunt, cuiuscunque sexus, aetatis aut dignitatis sint, sapientiamque, diuitias, bonam valetudinem, & omnia ad vitam necessaria ab eo expetunt, vnde quantis in tenebris miseri isti homines etiamnum versentur, facile apparet.*



M. Landesbibliothek - Universitäts- Halle (Saale)

XII.

NAVIS QVÆDAM LVSITANICA AB ANGLIS & Hollandis expugnatur.

NAuem hanc ad ſancti Thomæ ciuitatem pertinentem, Angli & Hollandi, 14. Octob. Anno 1602. deuictis Luſitanis, in freto Malaccæ *expugnarunt. Numerabantur autem in ea 600. plus minus vtriuſque ſexus homines. Eratq́ nauis ipſa 1400. onerũ capax, multis Indicarum mercium opibus onerata, quas cum inde ad ſuas naues Angli Hollandique traduxiſſent, reſtitutam iterum Luſitanis nauem cum omni populo dimiſerunt. Numeros quos adiecimus ſic intellige. 1. Admiralem Anglum*, Gems Lanceſter *nomine*; *2. Admiralem Hollandum, Georgium à Spielberg nomine*; *3. Viceadmiralem Anglum*, Midelthon *nomine*; *4. Nauem Selandicam, Agnum nomine*; *5. Celocem Anglicam, 6. vero Admiralis Spielbergii Scapham denotant.*



SEQVVNTVR IAM ICONES AD ALTERAM HVIVS OPERIS NAVIGATIONEM pertinentes.

XIII.

QVA RATIONE POPVLI AD EVPHRATEM HABITANTES agros suos humectare soleant.

POPVLI *ad Euphratem, maxime vero in tractu* Caraguol *habitantes, cum per totam æstatem pluuiam non experiantur, mirabili quadam ratione agros suos humectare solent. Rotam enim molendini in medio flumine constituunt, eiq; circumquaque vtres ex pellibus Tigrium consutos appẽdunt. Hi, dum rota mouetur, aquam hauriunt & in vas aliquod appositum effundunt, vnde per Canales hinc inde dispositos ea in vicinos agros deriuatur. Rotam vero istam boues circumagunt, vt ex capite 4. historiæ patet. Cæterum 13. cap. mirabilis artificii literas ab vno loco in alium transferendi fit mentio. Mercatores enim in Babylonia &* Balsara *columbas in obscuris locis nutriunt, quas hi quidem ex Babylonia, illi vero ex* Balsara *sibi afferri, ita vt lumen diei nõ aspiciãt curant. Quando igitur quid accidit, quod socios suos scire volunt, literas pedibus columbarum alligant, atq; ita à se dimittunt, quæ tamdiu volant, donec ad pristinum hospitium vel columbarium perueniant, itaq; mercatores illis comprehensis, literas statim inueniunt, & quæ scire expetunt, nullo negotio cognoscunt.*

XIV. FES-

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle (Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651651-p0032-2

XIV.

FESTVM POENITENTIÆ APVD POPVLOS, QVI *Amocchi* & *Chiaui* dicuntur.

MOris est apud illos, qui in Casta habitant, vt, cum maritus aliquis moritur, mortuum illum in foueam collocēt, cruribus brachiisq; in formam crucis dispositis, postmodo vxorem ex opposito eius eodem modo disponunt, & viuam cum marito suo sepeliunt. Apud illos autem, qui Amocchi dicuntur, festum peculiare in vsu est: cum enim reperitur aliquis, qui Pagodi siue idolo, quod populi isti colunt, votum aliquod fecit, vel in necessitate constitutus auxilium ab eo impetrare expetit, ad locum idolo sacrum sese confert, vbi ingens arbor quædam instar mali alicuius in naui cum antenna in terram defossa est, ab antenna autem illa siue ligno transuerso, retinacula duo ferrea dependent. Sacerdotes igitur idololatræ, post admonitionem ad pœnitentiam, retinacula illa dimittunt, appræhensumq; pœnitentiarium in vtroque humero ad Pagodo siue idolum attrahunt, vbi dependens ita à retinaculis ferreis ter idolum salutare, pectus suum percutere, & alia peragere cogitur, donec iterum remittatur, vt in cap. 34. prolixius annotatum est.

Halle. (Saale)

XV.

RATIO HOMINES EX VNO LOCO IN alium geſtandi.

HAC ratione Peguani vtuntur, ſi quando aliquem ex vno loco in alium geſtare volunt. Linteum enim habent ex Goſſypio varii coloris paratum, cui in extremitatibus ferramẽta adhærent, quodq; tegmine ſiue vmbella pro arcendo ſolis æſtu & pluuia etiam ab hominibus deriuanda inſtructum eſt. Hanc lecticulam ipſi Delingo vocant; geſtatur vero à duobus baiulis, duarum haſtarum quibus adhæret beneficio, & qui ea vtitur, quaſi dormiens recumbit, reclinato in puluinari capite, vt commotionem nullam ſentiat.

Adiecimus hic etiam delineationem nauis, qua Dominus de Caſmi vti ſolet, quæ multis remis inſtructa eſt, qui trahuntur ad ſonum ſiue clangorem tubarum aliquot, Domino in eleuata quadam ſella ſedente, & miniſtros ſuos in minoribus nauigiis ſecum habente. Expreſſimus etiam effigiem nauis mercatoriæ, duplici fundo, & tabulato præterea alio, vbi mercatores ſedeant, conſtantis.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651651-p0036-5

XVI.

MAGNIFICENTIÆ REGIS IN *PEGV*, ET QVOmodo ille pro tribunali ſedeat, delineatio.

REx in Pegu *ſplendidam admodum & magnificam vitam agit: potentiſſimus enim eſt omnium* Regum, *& auri, argenti, gemmarumque per totam Orientalem Indiam (Rege in* China *excepto) ditiſſimus. Singulis autem diebus bis cauſas audit, in throno ſedens magnificè eleuatus & auro argentoq; indutus, Coronam in capite triplicem geſtat gemmis & auro nitentem, ſatellitibus vndiq; cinctus eſt, qui humi ſedentes arma in peculiari ſcamno diſpoſita ad manus ſemper habent: iuxta eum Principes, Comitesq; & Conſiliarii eius conſiſtunt. Vt conſedit autem cauſis cognoſcendis operam daturus, producuntur primo in conſpectum eius quatuor Elephantes alibi, incedentes ſub vmbraculo ſiue tegmine, quod octo haſtis impoſitum ab octo miniſtris geſtatur, præcedentibus qui tympanum pulſent & tubis canant. Elephantes hi in conſpectum Regis venientes, honorem ei exhibent, in genua concidunt, promuſcidem eleuant, editoq; ter ingenti ſono, quaſi ſalutato Rege recedunt. Lauantur Elephantes hi quotidie ex vaſis argenteis, vaſa autem, ex quibus cibum capiunt, dolia referunt, cadi vnius capacia, & ex ſolido auro conſtant.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651651-p0038-6

XVII.
PRODITORVM IN PEGV SVPPLICIVM.

DATRVVM *habebat* Rex *in* Pegu Regem *in* Avua, *ſibi ſubiectum. Is aliquando contra eum conſurgens, debitum & conſuetum ſuum tributum* Regi *perſoluere nolebat, fretus beneuolentia Præfectorum & Aulicorum, qui* Regi *in* Pegu *miniſtrantes cum* Rege *in* Avua *fœdus inierant, ſeque iureiurando ei obligarant, quod, vbi ad arma ventum eſſet, partibus eius, deſerto ſuo* Rege & Domino, *accedere vellent. Rex igitur in* Pegu *cognita conſpiratione iſta, de bello* Regi *in* Avua *inferendo cum Præfectis ſuis deliberaturus, ſingulos conuocauit, nihilq; tale metuentes, carceri incluſit, & cum vxoribus liberisque, & vniuerſis eorum familiis, ita vt quatuor millium fere perſonarum numerum excederent, igni adiudicatos, in foro publico, ſpectantibus omnibus incolis, cremari curauit.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651651-p0040-7

XVIII.

PVGNA INTER REGEM IN *PEGV* ET Regem in *Auua*.

SVmpto de proditoribus hiſce ſupplicio, belloque Regi in Auua indicto, Rex in Pegu trecentorum millium armatorum exercitu breui tempore collecto, aduerſus Regem in Auua profectus eſt, cumq; in aperto & longè lateq; patenti campo vterque exercitus conueniſſet, Reges Elephantibus inſidentes duelli initium fecerunt, ſclopetis primo, mox ſagittis & tandem ſtrictis gladiis congreſſi, poſtmodo alter alterum prouocando, milites etiam congreſſi ſunt, donec res ad perfectam tandem pugnam peruenirent, in qua Rex in Pegu, interfecto patruo ſuo, victoriam obtinuit, omni eius terra ad ſe poſtmodum translata.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651651-p0042-8

XIX.

VENATIO ELEPHANTVM IN *PEGV*.

Delectatur Rex in Pegu *maxime venatione Elephantum, quibus regio hæc admodum abundans est. Perficitur autem tali ratione: Sunt in ciuitate carceres aliqui crassioribus columnis ligneis cõstantes, & extra eos stabula quædam Elephantum, quæ præter vnum capere non possunt. Iam cum venationem Rex instituere expetit, fœmellæ quædam Elephantes, ad hanc rem assuefactæ, in syluam emittuntur, oleo quodam in parte pudenda inunctæ, cuius odore Elephantes admodum delectantur. Hoc odore percepto Elephantes feri ad fœmellas hasce congregantur, easq; præ amore quasi furentes, ad ciuitatem & in ipsos carceres vsq;, posthabito omni astante populo, comitantur, vbi fœmellæ quidem ad stationes siue stabula sua properant, carceres vero statim occluduntur, vt exitus bestiis illis nullus pateat. Quo facto captiuas sese videntes, sæuire admodum incipiunt, exitum vi summa quærentes, donec defatigato tandem corpore subsistant, atque ita stabulis sese includi patiantur, vbi per dies octo cibi potus ve nihil gustantes, cicures tandem redduntur.*

XIX.

VENATIO ELEPHANTVM IN TEGN.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651651-p0044-9

XX.

FESTVM REGIS IN *PEGV* SOLENNE.

HAbent *in* Pegu *multa festa, inter alia vero vnum maximè solenne & celebre, quod* Sapan Giachie *vocant. Hoc cum instat, Rex & Regina in curru triũphali, auro vndiq; obducto, considentes ad locum huic festo destinatum, qui 12. leucas ab vrbe distat, tali pompa & ordine proficiscuntur. Præcedunt initio multi hastati, sequuntur deinde Sclopetarii, mox sagittarii, & tandem gladios gestantes aliqui. Post illos aulici Regis incedũt, & cum illis mixti Elephantes aliqui. Currum Regis proximè præcedunt duo rubri & quatuor albi Elephantes, ipsum vero currum octo Equi generosissimi protrahunt, comitantur q; eum nobilitatis pars potissima, viri nimirum & mulieres, equis elegantissimis insidentes.*

XX.

FESTVM REGIS IN PECV SOLENNE.

XXI.

FESTORVM QVORVNDAM ALIORVM in *Pegu* adumbratio.

PRæter *festum supra adumbratum adhuc aliud habent* Sapan Daiche *dictum festum nēpe aquarum. Hoc enim festo Rex cum familia sua regia, ad certum locum magnificè delatus, curru descendit, & aqua rosarum suos aspergit, atq; rursus à suis aspergitur. In primis vero aulici & præfecti Regii sese inuicem aqua rosarum ita aspergunt, vt quasi flumine mersi, toto corpore madidi appareant. Festo quodam alio, quod* Sapan Donon *vocant, naui vndiq; inaurata Rex cum* Regina, *& aulicis nobilibusq; suis præcipuis ad vrbem* Menao *traiicit, vbi domum regiam habet elegantissimè exornatam, vnde ludos contemplari possunt, quos nobiles aulici centenis sæpe nauigiis in mari congregati Gynæceo exhibere solent. Duobus enim singuli remigibus vtentes, ad certam aliquam metam velocissimo cursu feruntur, quam qui primus assequitur,* Pagodo *siue idolo quodam aureo; secundus argenteo donatur. Vltimus vero linteum à Gynæceo dedecoris notam accipit, quo partes pudendas contegat. Præterea etiam dies quosdam habent lauandis sacerdotibus monachisq; suis destinatos, quibus quidem diebus congregati incolæ aquam illam, qua sacerdotes sese abluerunt, colligunt & ex summa deuotione in potum postmodum adhibent.*

XXII. SE-

XXI.

FESTORVM QVORVNDAM ALIORVM

in Pegnadumbrantio.

XXII.

SEPVLTVRÆ REGVM ET SACERDOTVM IN *Pegu* delineatio.

REGE *aliquo in* Pegu *defuncto, parantur ab amicis eius duæ precioſiſſimæ naues, ita vt ſibi inuicem cohæreant, has inaurato tegmine contegunt, & in altera earum tabulatum quoddam ſiue rogum auro obductum conſtruunt, huic poſtmodum rogo corpus defuncti Regis imponunt, igne ex odoriferis lignis excitato, comburendum. Permittuntur autem naues flumini, additis quibuſdam ſacerdotibus ſiue monachis, qui cinerẽ poſtmodo adhibito lacte in maſſam redigant, & in aquam demittant. Quod ſi vero Sacerdotum ſiue monachorum, qui* Talapoi *ipſis dicuntur, aliquem mori contingat, reliqui poſt multas ſolennitates corpus eius rogo impoſitum ad littus maris deferunt, adhibitis lignis odoriferis comburunt, cineremq; inde collectum in aquam abiiciunt, oſſibus, quæ forte ſuperſunt, iuxta ædificium defuncti monachi in terram defoſſis atque ſepultis.*

FINIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651651-p0050-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651651-p0052-3

Oc 3172
4°
(418.)
ULB Halle
004 304 462
3
56.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-651651-p0054-4

8

ICONES,

Hoc est:

VERÆ VARIORVM

VM ET REGVM,

I TEM, SVPERSTIT IO-

T RERVM ALIARVM, HOC

commemoratarum, effigies

imagines,

IBVS TAM

gii, quam Caſpari Balbii

iones illuſtrantur.

dio & opera

RI, ET IOANNIS-ISRAELIS

YM, IN ÆS PVLCHERRIME

INCISÆ.

NCOFORTI,

In Officina Typographica WOLFGANGI RICHTERI.

M. DC. VI.